



## **Opvs Theologicvm**

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

**Mauro, Silvestro**

**Romae, 1687**

Q. 253. Vtrùm in homine sit imago Trinitatis secundum mentem, & secundum actus mentis, in quantum habent pro objecto Deum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)



## QVÆSTIO CCLIII.

ergo creatura intellectualis est ad imaginem Dei per hoc, quod potest Deum intelligere, & amare; sed tripliciter creatura potest Deum intelligere, & amare: primo in quantum per naturam est apta ad Deum intelligendum, & amandum; secundo in quantum per gratiam actu, vel habitu Deum intelligit, & amat imperfectè; tertio in quantum per gloriam Deum intelligit, & amat perfectè: ergo tripliciter creatura potest esse ad imaginem Dei: primo per naturam intellectualem; & quia omnes homines, tum iusti, tum iniusti habent naturam intellectualem, omnes homines tum iusti, tum iniusti sunt ad imaginem Dei: secundo per gratiam; & quia soli iusti habent gratiam, soli iusti sunt ad imaginem Dei per gratiam: tertio per gloriam; & quia soli beati habent gloriam, ideo soli beati sunt ad imaginem Dei per gloriam, iuxta illud 1. Io. 3. *Cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Ideo Apostolus ad Rom. 8. dicit, quod illos, quos Deus præstinit conformes fieri imagini filij sui, hos prædestinavit. Consonat Glossa ex Cassiodoro in psalm. 4. super illa verba, *signatum est super nos lumen vultus tui domine*, distinguens triplicem imaginem, creationis, quæ est imago per naturam: recreationis, quæ est imago per gratiam: & similitudinis, quæ est imago per gloriam, per quam nimirum *similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.*

11. Quæritur decimo, quare cum imago Dei inveniatur non solum in viro, sed etiam in muliere, Apostolus 1. ad Corint. 11. dicat, quod vir est imago Dei, mulier autem imago viri?

Respondet, quod quandoquidem homo est imago Dei, in quantum habet naturam intellectualem; non solum autem vir, sed etiam mulier habet naturam intellectualem; non solum vir, sed etiam mulier est imago Dei secundum id, in quo principaliter consistit imago Dei. Ideo scriptura Gen. 1. cum dixisset, *Creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum*, subdit, *masculum, & feminam creavit eos*, ad significandum, quod non solum masculus, sed etiam femina est ad imaginem Dei, ac dixit pluraliter eos, ne intelligatur in unico individuo uterque sexus fuisse contentus, ut advertit S. August. lib. 3. de Gen. ad litt. cap. 22. Verum quoad aliquid secundarium ratio imaginis convenit soli viro, non autem mulieri. Nam vir est principium, & finis totius creaturæ. Ideo Apostolus loco citato, cum dixisset, quod *vir imago, & gloria Dei est*, mulier autem gloria viri est explicat, quare hoc dixerit, subdens: *Non enim vir ex muliere est, sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum*, ac proinde vir est specialiter imago Dei, in quantum est principium, & finis mulieris, sicut Deus est principium, & finis omnium.

*Utrum in homine sit imago Trinitatis secundum mentem, & actus mentis, in quantum habent pro obiecto Deum?*

S. Thom. quæst. 93. art. 5. 6. 7. 8. 9.

1. Quæritur primo, utrum in homine sit imago representans Deum, non solum secundum naturam divinam, sed etiam secundum Trinitatem Personarum?

Respondet Sanctus Thomas affirmativè art. 5. huius quæstionis 93. iuxta illud Hilarii lib. 4. de Trinit. circa medium: *Per hoc, quod homo dicitur ad imaginem Dei factus, ostendit Trinitatem Personarum.* Probat: nam ut cum Sancto Thoma quæst. 46. art. 2. diximus quæst. 83. tres Personæ divinæ in Deo dantur ex hoc, quod ex Deo procedit Verbum, & amor; sed Verbum, & amor procedunt in Deo, in quantum Deus habet naturam intellectualem: ergo eo ipso, quod in homine datur imago Dei, in quantum habet naturam intellectualem, datur imago Dei, in quantum in Deo procedunt Verbum, & amor, adeoque in quantum in Deo datur Trinitas Personarum. Quia verò in homine datur imperfecta imago Dei, ac Trinitatis, ex eo, quod homo cognoscat in se ipso imaginem Trinitatis, non sequitur, quod possit evidenter cognoscere Trinitatem divinam Personarum. Etenim dicit S. Augustinus lib. 15. de Trinit. cap. 6. *Maxima est differentia huius Trinitatis, quæ est in nobis, ad Trinitatē divinā. Et ideo Trinitatem, quæ est in nobis, videmus potius, quam credimus: Deum verò esse Trinitatem credimus potius, quam videmus.*

2. Quæritur secundo, utrum in homine sit imago solius Filij, an etiam Patris, & Spiritus Sancti?

Respondet quosdam apud Augustinum lib. 12. de S. Trinit. cap. 6. docuisse in homine dari imaginem solius Filij. Fundamentum fuit, quia Gen. 1. & 2. homo dicitur factus ad imaginem Dei; sed solus filius est imago Patris, ut dicit S. Augustinus lib. 6. de Trinit. cap. 2. ergo homo, dum dicitur esse ad imaginem Dei, dicitur referri ad solum Filium, qui solus est imago, ac proinde dicitur imago solius Filij. Hanc opinionem rejicit S. Augustinus lib. 12. de Trinit. cap. 6. primo, quia homo est imago Dei, in quantum est similis Deo secundum naturam intellectualem; sed natura intellectualis est communis omnibus tribus Personis divinis, quæ sunt consubstantiales: ergo homo est imago omnium divinarum Personarum. Secundo Deus Pater Gen. 2. dicit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*: sed si homo esset ad imaginem solius Filij, non dixisset *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, sed Filium alloquens dixisset, *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem tuam*: ergo &c. Dum ergo dicitur ad ima-



ginem Dei fecit illum, non significatur Deus fecisse hominem ad imaginem solius Dei filij, sed fecisse hominem ad imaginem Dei Patris, Filij, & Spiritus Sancti, seu ad imaginem totius Trinitatis: ac dum dicitur, *faciamus hominem ad imaginem nostram*, sensus est: faciamus hominem ita, ut sit imago nostra.

3. Queritur tertio, utrum in homine imago Dei sit solum secundum mentem?

Respondeo affirmatiue cum Sancto Thoma art. 6. quaest. 93. Probatur. Ex dictis enim quaest. superiori 252. num. 6. & 7. cum Sancto Thoma art. 1. & 2. huius quaest. 93. licet in creaturis etiam irrationalibus inueniatur aliqua Dei similitudo, tamen in solis creaturis rationalibus inuenitur similitudo per modum imaginis, in creaturis irrationalibus inuenitur similitudo solum per modum vestigij, ut etiam explicatum est supra in Tractatu de creatione, quaest. 119: sed creaturae rationales excedunt creaturas irracionales in hoc, quod habent intellectum, & mentem, quibus carent irracionales: ergo in creaturis rationalibus ratio imaginis datur in intellectu, ac mente, in alijs autem partibus datur solum ratio vestigij.

4. Queritur quarto, quo pacto imago differat a vestigio, ac representatio per modum imaginis differat a representatione per modum vestigij?

Respondeo, quod ex dictis quaest. precedenti 252. num. 2. imago est, quae representat illud, a quo procedit, per similitudinem speciei, vel figurae, quae est quasi species sensibilis rei: vestigium autem est, quod representat illud, a quo procedit, per modum effectus non habentis similitudinem speciei: ex. gr. impressiones, quae ex motu animalium relinquuntur in pulvere, vel luto, dicuntur vestigia talium animalium, quia sunt eorum effectus non habentes similitudinem speciei, vel figurae animalium: cinis dicitur vestigium ignis, & desolatio terrae dicitur vestigium hostilis exercitus ex eadem ratione, ut explicatum est etiam supra quaest. 119. n. 5.

5. Queritur quinto, quo pacto creaturae rationales representent Deum, non solum secundum naturam diuinam, sed etiam secundum Trinitatem Personarum per modum imaginis: creaturae autem irracionales representent Deum, tum secundum naturam diuinam, tum secundum Trinitatem Personarum, solum per modum vestigij.

Respondeo, quod ex dictis quaestione precedenti 252. num. 7. species naturae diuinae constituit quodammodo in hoc, quod sit intellectiua: sed creaturae rationales representant Deum, in quantum sunt similes Deo in hoc, quod sunt intellectiuae: ergo representant Deum, in quantum habent similitudinem in specie; sed creaturae irracionales non representant Deum per hoc, quod habeant naturam intellectiuam, sed per hoc, quod earum dispositio non possit procedere, nisi a diuino intellectu, ac proinde sit quoddam

vestigium diuini intellectus: ergo creaturae rationales representant Deum secundum diuinam naturam, non per modum imaginis, sed solum per modum vestigij. Rursus tres Personae distinguuntur per hoc, quod Verbum procedat a dicente, & amor ab viroque, hoc est a dicente, & a Verbo, ut cum Sancto Thoma quaest. 45. art. 7. explicatum est supra quaest. 90. sed in creaturis rationalibus datur processio Verbi per intellectum, & processio amoris per voluntatem: ergo in creaturis rationalibus datur similitudo Trinitatis, & diuinarum Personarum secundum speciem, vel quasi speciem ipsius Trinitatis, ac proinde datur imago Trinitatis. E conuerso in naturis irrationalibus non datur principium Verbi, neque datur Verbum, neque amor, sed solum apparent quaedam vestigia, & effectus, ex quibus insinuat hanc dari in illo, quae vestigia sunt modus, species, & ordo, ut magis explicatum est supra quaest. 119. num. 7. ergo creaturae rationales representant Trinitatem diuinam Personarum, non per modum imaginis, sed per modum vestigij.

6. Queritur sexto, utrum conuenienter dicatur imaginem Trinitatis inueniri in tribus personis humanis, nimirum in viro, vxore, & filio?

Respondeo, quod ut ex Augustino lib. 12. de Trinit. cap. 5. refert Sanctus Thomas art. 6. quaest. 93. in resp. ad 2. quidam dixerunt imaginem Trinitatis in tribus personis humanis posse reperiri, ita ut in coniugio masculis, & femina, & eorum prole compleantur. Iuxta hanc opinionem vir est imago Dei Patris; proles ita procedens a Patre, ut nascatur, est imago Dei filij; mulier, hoc est Heua, quae ita procedit a viro, hoc est Adamo, ut non fuerit nata, ac proinde non fuerit filius, aut filia Adam, fuit imago Spiritus Sancti. Reijcit Sanctus Thomas hanc opinionem, quae prima etiam facie apparet absurda. Primo enim sequeretur, quod Spiritus Sanctus esset principium Filij, sicut mulier est principium prolis, quae nascitur ex viro. Secundo vnus homo esset solum ad imaginem vnus personae, nimirum ad imaginem Patris: proles ad imaginem Filij, mulier ad imaginem Spiritus Sancti; sed Scriptura dicens, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, insinuat singulos homines esse ad imaginem omnium diuinarum Personarum: ergo. Tertio Scriptura non debuisset dicere hominem factum esse ad imaginem Dei, nisi prole producta: sed Scriptura multo ante, quam narret ex viro, & muliere natam fuisse prolem, dicit hominem fuisse factum ad imaginem Dei: ergo. Quia vero authores illius opinionis asserbant Scripturam, dum dicit: *Ad imaginem Dei creauit illum, masculum, & feminam creauit eos*, insinuasce sexuum diuersitatem conferre ad hoc, ut homo sit imago Dei, Sanctus Thomas docet Scripturam hoc dixisse, non ut imago Dei secundum distinctionem sexuum attendatur, sed quia ima-



20. *Dei utrique sexui est communis, cum sit secundum mentem, in qua non est distinctio sexuum. Vnde Apostolus ad Coloss. 3. postquam dixerat, secundum imaginem eius, qui creauit illum, subdit. Vbi non est masculus, & femina.*

7. Quæritur septimo, vtrum homo non solum secundum mentem, sed etiam secundum corpus sit aliquo modo speculi ad imaginem Dei?

Respondeo affirmare Augustinum lib. 83. quæst. qu. 5. per hæc verba. *Corpus quoque hominis quia solum inter animalium terrenorum corpora non prouum in alium prostratum est &c. quia tale est, ut ad contemplandum celum sit aptius, magis hoc ad imaginem, & similitudinem Dei, quam cetera corpora animalium factum iure videri potest.* Aduertit tamen Sanctus Thomas art. 6. quæst. 93. in resp. ad 3. quod non est sic intelligendum, quasi in corpore hominis sit imago Dei, sed quia ipsa figura humani corporis repræsentat imaginem Dei in anima per modum vestigi.

8. Quæritur octauo, vtrum sicut in visione intellectuali datur quædam Trinitas, secundum quam sumus ad imaginem Dei, sic in visione tum oculari, tum imaginaria datur aliqua Trinitas, secundum quam sumus ad imaginem Dei.

Respondeo cum Sancto Thoma in resp. ad 4. quod sicut dicit S. Augustinus lib. 9. de Trinitate, cap. 6. & lib. 12. cap. 2. tum in visione oculari, tum in imaginaria datur quædam Trinitas. Explicatur. In visione oculari datur species intentionalis obiecti visibilis causans visionem: datur ipsa visio exprimens obiectum: & datur actus voluntatis, quo volumus applicare potentiam visiuam ad videndum, & eam in re visa detinere. In visione etiam imaginaria datur species intentionalis, quæ veretur in memoria, datur ipsa visio imaginaria, ac datur volitio coniungens utramque, & applicans speciem ad causandam visionem imaginariam. Videtur ergo species intentionalis causans visionem esse imago Patris: visio ocularis, vel imaginaria esse imago Filij: volitio applicans, & coniungens speciem visioni oculari, vel imaginariæ esse imago Spiritus Sancti. Verumtamen utraque Trinitas deficit ab hoc, ut sit imago diuinæ Trinitatis, ideoque est potius vestigium, quam imago diuinæ Trinitatis. Probatur. Primo enim species visibilis videtur esse extra animam, ac recipi in medio, puta in aere: species memoratiua licet sit in ipsa anima, tamen est animæ aduentitia, ac de nouo adueniens animæ: ergo deficiunt ab hoc, quod repræsentent processionem diuinarum, Personarum, per quas procedunt naturaliter, & ita, ut sint coeternæ principiis, à quibus procedunt. Secundo visio corporalis, ac imaginaria non solum procedunt à specie, sed etiam à potentia visiva, & imaginatiua: ergo non conuenienter repræsentant processionem, per quam filius procedit à solo Patre. Tertio volitio applicans potentiam, & con-

iungens speciem visioni, non procedit à specie, & visione: ergo non conuenienter repræsentat processionem, qua Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio. Imago ergo Trinitatis existit potius in actibus mentis, ut iam explicabitur.

9. Quæritur nono, vtrum imago Trinitatis detur in anima præcipue in quantum exercet actus mentis, siue intellectus, & voluntatis.

Respondeo affirmatiue cum Sancto Thoma art. 7. huius quæst. 93. Probatur, & explicatur. Nam imago consistit in hoc, ut sit similitudo quædam repræsentans aliquam rem, non solum secundum genus, sed etiam secundum speciem: ergo imago Trinitatis in anima præcipue, ac principaliter consistit in eo, per quod anima maxime, in quantum creature possibile est, repræsentat processionem diuinarum, Personarum, & ipsas Personas, non solum secundum genus, sed secundum speciem, vel quasi speciem: sed species diuinarum Personarum, & processionum consistit in hoc, ut Verbum procedat à dicente, & amor connedens Verbum cum producente procedat ab utroque: ergo imago Trinitatis in anima præsertim consistit in hoc, quod ex notitia, quam habemus, formamus verbum internum, & ex verbo prorumpimus in amorem. Quia verò potentia, & habitus sunt principia actuum, in quibus virtualiter existunt ipsi actus, imago Trinitatis consequenter, & secundario consistit in potentiis, & habitibus, in quantum in eis existunt virtualiter actus, quibus ex notitia formamus verbum, & ex verbo procedimus ad amorem. Ideo Augustinus lib. 9. de Trinitate, cap. 4. dicit, quod Trinitas nostra, quæ est imago diuinæ Trinitatis, consistit in mente, notitia, & amore, ac lib. 10. de Trinitate, cap. 3. dicit, quod consistit in memoria, intelligentia, & voluntate. Licet autem actus recordandi, intelligendi, ac volendi non semper existant in se ipsis, tamen semper existunt in suis principiis, hoc est in potentiis, & habitibus, ideoque semper in anima existit imago Dei: ideoque S. Augustinus lib. 14. de Trinitate, cap. 4. dicit. *Si secundum hoc facta est ad imaginem Dei anima rationalis, quod uti ratione, atque intellectu ad intelligendum, & conspiciendum Deum potest, ab initio, quo esse cepit, fuit in ea Dei imago.*

10. Quæritur decimo, vtrum imago Trinitatis sit in anima solum, in quantum exercet actus intelligendi, & amandi circa Deum, ut obiectum.

Respondeo affirmatiue cum Sancto Thoma art. 3. huius quæst. 93. Probatur. Ex dictis enim num. 9. ad imaginem requiritur, ut sit similitudo repræsentans aliquam rem, non solum secundum genus, sed secundum speciem: ergo imago Trinitatis in anima consistit in eo, per quod anima maxime, in quantum possibile est creature, repræsentat processionem diuinarum Personarum, & ipsas Personas, non solum secundum genus, sed secundum

Y y y dum



dum speciem, vel quasi speciem: sed species, vel quasi species diuinarum Personarum, & processionum consistit in hoc, quod Verbum procedat à Deo, in quantum ex cognitione, qua cognoscit seipsum, dicit seipsum, & amor procedat à Deo, in quantum amat seipsum: ergo imago Trinitatis, & diuinarum Personarum in homine consistit in hoc, quod homo ex cognitione Dei producat in seipso verbum Dei, & ex verbo Dei deriuetur amor, ac proinde imago Trinitatis in anima consistit in hoc, quod fertur, vel nata est ferri per cognitionem, & amorem in Deum vt obiectum. Ideo S. Augustinus lib. 4. de Trinit. initio cap. 12. dicit: *Hæc igitur Trinitas mentis, non proprie est imago Dei, quia sui meminit mens, & intelligit, ac diligit se, sed quia potest etiam meminisse, & intelligere, & amare Deum, à quo facta est.*

11. Addit primo Sanctus Thomas, quod mens dupliciter potest in aliquid ferri: primo directè, & immediatè: secundo indirectè, & mediatè, eo pacto, quo qui videt imaginem hominis in speculo, dicitur videre indirectè, & mediatè ipsum hominem: sed anima est imago Dei: ergo cognoscendo, & amando se ipsam, potest indirectè, & mediatè cognoscere, & amare Deum per hoc, quod ita suis actibus feratur in seipsam, vt ulterius feratur in ipsum Deum. In hoc sensu loquitur Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 8. paulo post initium, dicens: *Ecce ergo mens meminit sui, intelligit se, diligit se. Hæc si cernimus, cernimus Trinitatem, &c. nondum quidem Deum, sed iam imaginem Dei.*

12. Addit secundo in resp. ad 3. quod quia anima potest Deum cognoscere, & amare, non solum per gratiam, cognitionem, & dilectionem supernaturalem, sed etiam per naturam aliqua cognitione, & dilectione naturali, & naturale est animæ, vt possit ratione vri ad Deum cognoscendum, & diligendum, ideo imago Dei semper manet in anima, vt cum Sancto Thoma art. 4. huius questionis 93. diximus questione superiori 232. num. 16. Hæc tamen imago in ijs, qui carent vñ rationis, est ita abolita, & quasi obtenebrata, vt penè nulla sit: in peccatoribus est obscura, ac deformata: in iustis est pulchra. Ideo S. Augustinus lib. 14. de Trinitate, cap. 4. loquens de anima dicit. *Quamuis ratio, vel intellectus nunc paruus, nunc magnus appareat, nunquam nisi rationalis, & intellectualis est anima humana, ac per hoc, si secundum hoc facta est ad imaginem Dei, quod vri ratione, atque intellectu ad intelligendum, & conspiciendum Deum potest, profectò ab initio, quo esse cepit ista tam magna, & mira natura, siue obsoleta sit ista imago, vt penè nulla sit, siue obscura, atque deformis, siue clara, & pulchra sit, semper est.*

13. Addi potest tertio, quod quia ex dictis quæst. 103. & 104. Verbum procedit ex cognitione, qua Deus in sua essentia cognoscit etiam creaturas, beati, qui in diuina essentia cognoscunt etiam creaturas, habent in

se imaginem Trinitatis etiam in quantum vident creaturas, vt docet Sanctus Thomas hoc art. 8. in resp. ad 4. Ideo S. Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 14. prope finem de beato Deum vidente dicit. *In illa itaque natura, cum feliciter adhaeserit, immutabiliter viuet, & immutabile videbit omne, quod videt, quia nimirum in essentia increata, & immutabili sunt immutabiliter rationes omnium creatorum, & mutabilium.*

14. Queritur vndecimo, vtrum similitudo distinguatur ab imagine, non solum vt genus communius imagine, sed etiam vt differentia, vel quasi differentia imaginis, & vt deficientis à ratione imaginis?

Respondeo affirmatiue cum Sancto Thoma art. 9. quæst. 93. Probat, & explicatur. Similitudo est quædam vnitas: similia enim sunt, quorum qualitas vna, vt dicit Aristoteles 5. metaphysic. t. 20.: sed vnum, sicut etiam verum, & bonum sunt quid transcendens: ergo etiam similitudo est quid transcendens: sed transcendentia ita sunt communia omnibus, vt possint etiam sumi, tanquam propria singulorum; ergo similitudo potest sumi vt ratio communis, ac generica imaginis, & vt ratio propria, & contractiua imaginis. Quod autem transcendens possit sumi, non solum vt communia, sed etiam vt propria singulorum, probatur, & explicatur. Nam bonum, quia est aliquid transcendens, potest sumi vt conuertibile cum ente, & si ita sumatur, est communius homine, & prærequiritur ad hominem, eo pacto, quo genus prærequiritur ad speciem: & in hoc sensu omnis homo, sicut est ens, sic est aliquid bonum. Potest etiam bonum sumi vt proprium, & contractiuum hominis, & in hoc sensu non quilibet homo est bonus, sed solum qui est virtute præditus. Proportionaliter similitudo potest sumi vt genus communius imagine, & in hoc sensu omnis imago est similis: potest etiam sumi vt consequens imaginem, eiusque perfectiua, & in hoc sensu non omnis imago est similis exemplari. Ideo comparando duas imagines, dicimus vnâ esse similem exemplari, aliam non esse similem exemplari. In hoc sensu sumit similitudinem Damascenus lib. 2. de fide, cap. 12. dicens. *Id, quod secundum imaginem, intellectuale significat, & arbitrio liberum, per se potestariuum.* Quod autem secundum similitudinem virtutis, secundum quod homini possibile est habere similitudinem. Aliqui etiam dicunt Adamum factum fuisse ad imaginem Dei per naturam, ad similitudinem autem per gratiam, & virtutes infusas. Potest etiam sumi similitudo, in quantum deficit à perfectione imaginis. In hoc sensu loquitur S. Augustinus lib. 83. qu. quæst. 31. dicens. *Spiritus, id est mens, ad imaginem Dei, nullo dubitante, factus est.* Cetera autem hominis, scilicet quæ pertinent ad inferiores partes animæ, vel etiam ad ipsum corpus, ad similitudinem facta esse aliqui volunt. Libro etiam de Quantit. animæ cap. 2. dicit, quod similitudo Dei attenditur in anima, in quantum est incorruptibilis. Similitudo



rudo enim in incorruptibilitate, cum sit communis etiam irrationalibus, deficit à ratione imaginis. Per hanc doctrinam possunt intelligi, & conciliari plures Patrum locutiones.

*De statu, & conditione primi hominis ante peccatum, seu de statu innocentie, & natura integræ.*

**S**anctus Thomas quæstione 91. & 92. agit de productione primorum hominum: & quia facti sunt ad imaginem Dei, quæstione 93. examinavit, in quo consistat imago Dei. Quæst. 94. & sequentibus disputat de statu primorum hominum ante peccatum: & quia ante peccatum habuerunt naturam integram, agit de statu, & gratia naturæ integræ. Et primo quidem agens de statu Adam quoad animam, quæst. 94. disputat de statu Adam quoad intellectum: quæstione 95. de statu eiusdem quoad voluntatem, gratiam, & meritum: quæst. 96. de dominio, quod homini conueniebat in statu innocentie. Descendit deinde ad agendum de statu primorum hominum quoad corpus, ac quæst. 97. agens de ijs, quæ spectant ad conseruationem individui, examinat, vtrum, & quomodo homo in statu innocentie fuisset immortalis, & impassibilis, ac indigisset cibis, ac edendo de fructu ligni vitæ, fuisset immortalitatem consecutus. Quæstione 98. 99. 100. 101. agit de ijs, quæ pertinebant ad conseruationem speciei, & examinat, vtrum, & quo pacto in statu innocentie fuisset generatio filiorum, & qualis fuisset conditio prolis quoad corpus, quoad iustitiam originalem, & quoad scientiam. Quæstione 102. disputat de loco hominum in statu innocentie, seu naturæ integræ, hoc est de paradiso terrestri. Doctrinam harum quæstionum examinabimus.

## QVÆSTIO CCLIV.

*Verum primus homo viderit Deum per essentiam, & quam cognitionem de Deo habuerit?*

*S. Thom. quæst. 94. art. 1.*

**1.** **V**idetur primus homo, hoc est Adam, vidisse Deum per essentiam: primo, quia beatitudo consistit in visione Dei per essentiam, vt dicitur in Tractatu de beatitudine: sed vt docet Damascenus lib. 2. de fide, cap. 11. primus homo in Paradiso conuersans beatam, & omnium diuitem habuit vitam, idemque supponit Augustinus lib. 14. de Trinitate, cap. 10. dicens: *Si homines habebant affectus suos, quales nunc habemus, quomodo erant beati in illo inenarrabilis beatitudinis loco, id est paradiso? ergo.*

**2.** Secundo Augustinus lib. 14. de Ciuit.

cap. 10. dicit, quod primo homini non aberat quippiam, quod bona voluntas adipisceretur: sed bona voluntas nihil melius potest adipisci, quam visionem Dei per essentiam; ergo primo homini non deerat visio Dei per essentiam.

**3.** Tertio si Adam non vidit Deum per essentiam, non potest satis explicari, quo genere cognitionis Deum cognouerit.

**4.** Respondeo plura dubia posse examinari. Primo ergo quæritur, vtrum Adam ante peccatum permanentem viderit Deum per essentiam?

Respondet negatiue Sanctus Thomas. Probat: nam summum, & infinitum bonum continens omnia bona, cum videtur prout est in se, necessitat videntem ad illud super omnia amandum, ac proinde ad non peccandum, ac reddit videntem impeccabilem, vt magis explicabitur suo loco: sed Deus est summum, & infinitum bonum continens omnia bona: ergo Deus visus prout est in se necessitat videntem ad Deum super omnia amandum, ac ad non peccandum, ac proinde reddit videntem impeccabilem: sed Adam fuit peccabilis, ac de facto peccauit: ergo. In idem recidit ratio, quam affert Sanctus Thomas. Beatitudo enim præsertim possessa, & experimentaliter cognita, ita necessitat possidentem ad illam amandam, vt non possit ab ea auerti, peccando, siquidem vnusquisque vult esse beatus, & non vult esse miser: Sed visio Dei est ipsa beatitudo, vt dicitur in Tractatu de beatitudine: ergo qui videt Deum, non potest à sua beatitudine auerti, peccando, ac proinde per visionem immediatam Dei redditur impeccabilis: sed Adam fuit peccabilis, & de facto peccauit: ergo Adam non vidit Deum permanentem. Videri possunt quæ in simili dicta sunt quæst. 171. num. 10. & 11. vbi probatum est Angelos, dum fuerunt in via, non vidisse Deum per essentiam.

**5.** Quæritur secundo, vtrum Adam viderit Deum visione transitoria in illo raptu, quem habuit, cum Deus immisit soporem in Adam, & revelauit illi mysterium Incarnationis, vt dictum est quæst. 251. n. 25.

Respondeo aliquos affirmare, alios negare, Sanctum Thomam hoc art. 1. quæst. 94. nec affirmare, nec negare. Probabiliorum existimo sententiam negatiuam, quam etiam sequitur Suarius lib. 3. de Opere sex dierum, cap. 18. num. 2. Ratio est, quia licet ex verbis Scripturæ inferatur Adamo in illo sopore reuelatum fuisse mysterium Incarnationis, nullo pacto inferitur, quod raptus fuerit ad videndum Deum, prout est in se: ergo sine fundamento asseritur, quod viderit Deum, prout est in se, præsertim cum Ioan. 8. dicatur: *Deum nemo vidit vnquam*, & Exod. 33. *Non videbit me homo, & viuet.*

**6.** Quæritur tertio, qua cognitione Adam ante peccatum cognosceret Deum?

Respondet Sanctus Thomas, quod primi hominis cognitio quodammodo media erat inter

Y y y 2

cogni.